

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3611

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Beaumont-en-Auge, Notre-Dame, dépendance Saint-Ouen de Rouen (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1260, février

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, cède à ferme au prieuré de Beaumont-en-Auge, pour la rente annuelle de 200 livres 54 sous et 6 deniers tournois, dans la ferme de Robert d'Angerville, des terres de Teil et du bois Saint-Vincent, un pré et un moulin de Teillart, des terres avec des redevances et des cens de Beaumont, de Branville, du Plessis et des bois de Bureill', de la Garende et de Londe.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 641, p. 122-123.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos priori et conventui de Bellomonte in Algia ad firmam perpetuam concessimus, pro ducentis libris et quinquaginta quatuor solidis et sex denariis turonensibus, nobis annuatim solvendis, tercia parte videlicet ad scacarium Pasche et duabus partibus ad scacarium sancti Michaelis, in firma Roberti de Angervilla, a la Telloie triginta quinque acras et dimidiam, et viginti sex perticas terre arabilis ; quoddam jardinum continens unam acram ; decem acras et tres virgatas bosci, qui vocatur Boscus Sancti Vincentii ; viginti novem acras, unam virgam (sic) et viginti perticas pratorum, cum redeventiis eorumdem ; molendinum Teillart, cum molta sicca, et una virgata prati contigua molendino ; item sexaginta tres anseres de reddito ; sexdecim ferra ad equum cum clavis ; duos vavassores, quorum quilibet debet unum modium avene de reddito ; item unum vavassorem qui debet dimidium modium avene ; livreiam pasturagii pratorum et pratagium. Item, in feodo Bellimontis, viginti octo acras terre arabilis ; quoddam jardinum continens unam acram et dimidiam ; quoddam molendinum, cum molta sicca ; unum sextarium ordei de reddito ; duos modios et septem sextaria avene de reddito ; census apud la Teilloie et apud Bellum montem quatuor librarum undecim solidorum et octo denariorum ; pro caponibus, gallinis, oblacionibus, ovis et denariis ad Pascha, sexaginta novem solidos ; ad festum sancti Johannis, in denariis, centum solidos, quos debet quidam vavassor ; ad festum sancti Michaelis septem libras tresdecim solidos et quatuor denarios censuales. Item, in feodo de Blanvilla octo acras et decem perticas terre arabilis ; tres acras pratorum ; tres vavassores et centum solidos censuales ; septem summas et quartam partem unius summe salis ; quadraginta capones ; quadraginta denarios ; quadraginta gallinas et quadraginta denarios ; trecenta ova, cum singulis decem ovis unum denarium ; tria sexteria et sex boissellos avene redditus ; precarias carrucarum ; patronatum capelle de Tylleia. Item in Plesseiis et in bosco Burell', in bosco de la Garende et in bosco Londe, viginti quatuor acras et dimidiam bosci, releveia rusticorum et simplicem justiciam

eorumdem, salvo tamen jure in omnibus alieno, et retentis nobis spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, releveis feodorum lorice integrorum et partitorum, forefactoris et gardis. Et de dicta firma, ut dictum est, solvenda, molendinum suum situm juxta molendinum de Granchia in contraplegium obligarunt nobis, una cum firma predicta perpetim remansurum, si a contractu resilirent predicto. Si autem inter eos et homines tenentes de eodem feodo, occasione premissorum, aliqua oriatur querela, volumus quod ad primasassisas seu placita nostra audiatur sine dilacione, ac eciam terminetur, nec pro predictis aliquos trahent in causam, nisi solummodo coram nobis vel nostris ballivis, nec eciam contra eos excommunicatione juvabunt. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius anno Domini M° CC° quinquagesimo nono, mense februario.